# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

DE

# PNEUMONIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT


ALEXANDER DUNLOP ANDERSON,

Scotus,

COLLEG. REGAL. CHIRURG. LONDIN. SOC.

NECNON

AD COPIAS BRITANNICAS CHIRURGUS SECUNDUS.


---

*Edidi quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coegerunt.* Cic.

---

*Kalendis Augusti, hora locoque solitis.*


EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1819.

HONORATISSIMO

CAROLO COLVILLE,

*ORDINIS EGREGII BALNEI EQUITI BARONETTO,*

COPIARUM BRITANNICARUM DUCI VICARIO,

EXERCITUS APUD BOMBAY IMPERATORI,

*&c. &c.*

VIRO

ANTIQUA PROSAPIA NATO,

OFFICIIS PRAECLARIS IN PATRIAM REDDITIS,

ET INGENII ACUMINE

INSIGNI,

HOC QUALECUNQUE OPUSCULUM,

SUMMA OBSERVANTIA,

ET ANIMO HAUD INGRATO,

D. D. C.QUE

AUCTOR.

PRAECEPTORI OPTIMO,

JOANNI BURNS, C. M.

IN ALMA ACADEMIA GLASGUENSI

CHIRURGIAE PROFESSORI;

HASCE PAGINAS,

ANIMI GRATISSIMI

LEVE SED SINCERUM PIGNUS,

OFFERT

ALEXANDER DUNLOP ANDERSON.

PATRI AMATISSIMO,

ANDREAE ANDERSON, ARMIGERO,

---

*APUD GREENOCK,*

SUMMA REVERENTIA ET AMORE

POSUIT

---

FILIUS.

O quantum difficile est curare morbos pulmonum! O quanto difficilius eosdem cognoscere, et de iis certum dare praesagium! Fallunt, vel peritissimos, ac ipsos medicinae principes. Tyrones mei caute estote, et prudentes in iis curandis; nec facile promittite curationem, ut nebulones faciunt, qui HIPPOCRATEM non legunt.

BAGLIVI *Opera*, lib. i, p. 54, Lugduni, 1714.

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

DE

# PNEUMONIA.

---

## PROŒMIUM.

RESPIRATIO, munus illud corporis animalis inexplicabile, sed vere mirabile, quo sanguis hujus impurus iterum purgatur, vitaeque idoneus redditur, pulmonum auxilio efficitur.

Fabrica horum delicata, vasculis referta, atque functiones momentosae quas hoc modo assidue peragunt, morbis inflammationem habentibus vehementer obnoxios reddit. Quum autem hi morbi in habitu robusto et pleno sae-

pius occurrunt, progressu fere rapidissimi nec raro terminatione lethales deveniunt.

Bene constat, duram militis vitam, intemperantiam omnigenam cui nimis saepe indulgit, eum ante aliud quodvis hominum genus inflammationibus acutis pronum efficere. Sed cum his causis adjiciuntur coelum frigori, caloríque extremo, horumque subitis, multo magis quam alia quaevis plaga alternationibus subjectum, mirum non videatur si in tali regione exempla pneumoniae occurrerent, et typo et terminatione graviora.

Inter bellum ideo nuper in Canada gestum, pneumonia militum complures, et in formis gravissimis corripuit. Stipendium quod apud exercitum ibi per maximam illius belli partem feceram, occasiones hunc ita excitatum morbum observandi et curandi frequentes praestitit. Quam ob causam pneumoniam hujus solennis disceptationis argumentum suscepi.

Pneumoniae a plerisque auctoribus nosologicis duae species descriptae sunt: Peripneumonia scilicet, aut pulmonum substantiae inflam-

matio; et Pleuritis, aut pleurae inflammatio: atque varia signa utramque speciem notantia literis mandata sunt. Illustrissimus CULLENUS, in "Synopsi Nosologiae Methodicae" sua, aliis morem gerens, huic divisioni adhaesit; sed dum signa, quae vulgo situm inflammationis generalem indicare putantur, delineat, adjecit haec incerta esse ad species inter se distinguendas.

Sedium proximitas et fabrica simillima, hanc signorum similitudinem efficit; corpora enim explorando, inflammationem, fere omni in exemplo, totas fere intra thoracem partes quodammodo affecisse, invenimus.

## DEFINITIO.

PNEUMONIA vocabulum est genericum, omnem pulmonum aut pleurae inflammationem indicans. Accurate CULLENO definita fuit, "Pyrexia; dolor in quadam thoracis parte; re-

"spiratio difficilis; tussis." De ratione, qua haec et alia morbi indicia obrepunt, effectibusque quos inducunt, tempus nunc monet ut agamus.

---

## HISTORIA.

Ut inflammatio partis vitae adeo necessariae ut pulmones, sine magna universi corporis perturbatione fieri nequeat, aliquis facile putet; atque verum est, quod prima pneumoniae signa saepius febrem generalem inflammatoriam, quam partis affectae conditionem referunt. Hoc autem non semper ita se habet; nonnullis enim nulla febris indicia observanda sunt, atque etiam notae morbi diagnosticae adeo obscurae sunt, aut parum observantur, ut paulatim admodum et quasi sensim obrepat, suppurationemque induxerit, priusquam etiam suspecta devenerit. Plerumque tamen, indicia satis notantur, nec bene confundi possent.

Languor, molestia generalis, horrores, calore

pertinaciter aucto, vulto rubido, tumido, capitis dolore, lingua alba, siti, respiratione difficili, excipiuntur. Pulsus fit frequens, fortis, durus; aut mollis et plenus est. Angustiae sensus in parte thoracis aliqua brevi dolor fit, qui plena inspiratione tussive vehementer augetur.

Quando pleuram maxime affectam esse videtur, rubor circumscriptus genas occupat, respiratio creber est brevis, thorace parum interea moto. Tussis primum sicca, humida postea, saepe cruenta fit; dolor in variis pectoris partibus, sed ad mediam costam sive sextam sive septimam relatus, quasi mucronatum aliquod instrumentum, hic in pectus transadigeretur descriptus, Plena quoque inspiratione tentata, atque tussi, quae sic molestissima fit, valde exasperatur.

Contra, ubi pulmonum substantia inflammationis sedem esse creditur, indicia multo magis fallacia sunt. Dolor obtusus est parumque molestus; saepe ponderis potius et oppressionis sensus; atque, ut CELSUS bene notavit, "id ge-

" nus morbi plus periculi quam doloris habet." Facies tumida est, atque purpurea; respiratio laboriosa, atque saepe " non nisi trunco cor- " poris erecto exercenda;" tussis plerumque sputo specie variante, nec raro sanguine tincto, stipatur.

Longe plerisque tamen exemplis haec signa conjunctim occurrunt.

Ingravescente morbo, febris quoque exacerbatur. Arteriae carotides atque temporum vehementer pulsant; cutis arida est; sitis magna; alvus adstricta; urina parca, rubra. Vultus anxietatem ingentem commonstrat; facies et labra livent; oculi suffusi et feroces; supervenit delirium. Respiratio nunc magis laborat, sono strepente comitato, hoc est, inspiratione quaque inhibetur. Aeger lecto erectus sedere cogitur, atque tussis accessionibus dolentissimis, onerosis, intercurrit, cum sputo difficili et suffocationis sensu urgente. Extrema frigescunt membra; pulsus debilis fit mollis, intermittens; oculi fixi patent, et fronte temporibusque sudores frigidi erumpunt.

Hoc tempore mala nonnunquam subito allevantur, respiratio quadam ex parte facilis fit, tussis minus frequens, atque aeger in lecto decumbere potis est. Haec autem signa fallacissima sunt, exque debilitate nimia et exhaustione provenientia mortis nimis saepe praenuncii sunt.

## TERMINATIONES.

Resolutio, suppuratio et gangraena sunt terminationes pneumoniae, cum aliis inflammationibus saepissime tributae.

Aliae tamen huic morbo magis familiares terminationes sunt; scilicet, effusiones aut in textum pulmonum cellulosum, aut in cavam pleurae; aut pleurae pulmonalis costalisque inter se adhaesio; aut tuberculorum formatio, cum inflammatione chronica, in phthisin pulmonum desinens.

Resolutio raro est terminatio naturalis, sed

plerumque curationis usurpatae proventus. Tussis laxa, facilis, cum sputo crasso, flavo, copioso, sanguine tincto; respiratio libera cum dolore leni; febris diminuta; vultusque species naturalior, signa sunt quae hanc mutationem faustam accidisse docent. Atque cum haec stipantur aut excipiuntur leni et aequabili perspiratione, urinae turbidae profluvio, epistaxi, diarrhoea, aut eruptione miliari, spes celeris refectionis magna erit.

Resolutio hujus morbi perfecta post diem decimum raro occurrit. Quum igitur signa post hoc spatium nihil, aut partim tantum minuta perstant, neque aliis resolutionis signis stipantibus, tum suppuratio timenda est.

Illa signa sequentia fere commonstrant. Horrores subinde intercedunt; sputum supprimitur; pectoris dolor minus urget, atque febris diminuitur; sed dyspnoea et tussis augentur, sensu ponderis si in latus sanum decumbatur comitante. Horrores nunc magis aequaliter recurrunt, sudoribusque nocturnis excipiuntur; febris hectica constituitur. Materia purulenta

intra cavum pleurae pulmonum deposita vomica appellatur; atque ita deposita tussiendo conatibus, in ramos bronchiorum rejiciatur, atque sputo exscreatur; aut adeo multa sit quod miserum suffocare sufficiat. Pus quoque inter pleuram pulmonum et costarum formari potest, aut vomica huc materiam suam effundat, atque hoc modo empyema inducat: quo in casu materia fluctuans ad partem percepi, atque per operationem idoneam emitti potest.

Quod hic morbus unquam in gangraenam pulmonum ipsorum desinat vehementer dubito; nunquam certe, in gravissimis exemplis occurrere vidi. Verisimile igitur est, ut exempla, quibus fieri perhibetur, ea erant quibus congestio ingens et effusio sanguinis in cellas pulmonum accidissent. Talibus enim, morbus insolita asperitate saevit; facies livida et quasi atra apparet; tussis materiae nigrescentis sanguineae sputo stipatur; pulsus fit celer, parum regularis, vultus demissus; spirandi difficultas maxima est, atque mors ab suffocatione, plerumque ante quintam diem supervenit. Effu-

sio seri aut muci in cellas aëriferas eundem effectum, licet minus rapidum inducet.

Serum quoque in cavum thoracis aut pericardium effundi potest, atque sic omnia signa hydrothoracis aut hydropis pericardii semet ostendunt.

Postremo, adhaesiones inter pleurae facies contiguas et tuberculorum formatio, terminationes pneumoniae sunt haudquaquam rarae; atque morbo, optimo jure, terribili, phthisi scilicet pulmonum, originem praestant.

## DIAGNOSIS.

Varii sunt morbi quibuscum pneumonia confundi dicitur; sed a catarrho, peripneumonia notha, pleurodynia et hepatitide diagnosis sola est utilis. Signorum in hisce singulis maxime notabilium consideratio brevis, cum pneumonia comparata, satis superque distinguet.

Catarrhus pondere doloreque capitis, lachry-

matione, coryza, sternutatione cum thoracis angustia notatur. Haec signa haud raro in inflammationem pulmonum terminant; quo facto, omne inter morbos discrimen perit.

Peripneumonia notha verae pneumoniae varietas est, sed aegri constitutione temperata: in senibus, in corporibus debilibus, leucophlegmaticis. Facies livida est, dyspnoea multa, sed nullus pectoris dolor molestus. Tussis in longa accessione recurrit, et tandem sputum viscidum, mucosum aut mixtum excitat. Pulsus celer debilisque, atque lingua plerumque sordida.

Pleurodynia affectus est musculorum thoracis rheumaticus, atque saepe aliis ejusmodi effectibus conjuncta dignoscatur. Dolor quidem pectoris acutus est, motu, pressu, subitave inspiratione auctus, sed paulatim sub hac repetita mitescens.

Hepatitis, pyrexia, dextri hypochondrii dolore pressione aucto, nec raro ad humerum surgente, denotatur. Decubitus in latus sinistrum difficilis est; dyspnoea, tussis sicca, vo-

mitus, singultus: subinde jecinoris amplificatio sentire est. Hic morbus cum pneumonia quoque maritetur.

---

## CAUSAE PRAEDISPONENTES ET EXCITANTES.

Nulla aetas est, corporisve habitus, nullum coelum nec anni tempestas hoc malo immunis est. Pneumonia nihilominus raro ante pubertatem occurrit. Mediam potius quam provectam aetatem, mares magis quam foeminas adoritur. Firmos quoque et robustos, atque ad inflammationem, sive natura, sive intemperantia proclives, seligere consuevit. Regionum borealium morbus frequentissimus est; sed omnibus plagis reperitur, quibuscunque caloris frigorisque vicissitudines subitae sunt. Propter hanc causam, in hyeme magis vereque quam in aestate aut autumno grassatur, et praesertim inter ventos frigidos orientales. Hujus mali

aggressus repetiti proclivitatem augent; magis adhuc si thorax male formatus sit, aut partes vicinae vitiata fabrica laborent, quo actio pulmonum ullo in modo impeditur aut turbatur. Eruptiones retropulsae, evacuationes suppressae, aliorum morborum ut podagrae translationes pneumoniam induxisse perhibentur.

Ex variis causis pneumoniam excitantibus, frigus longe frequentissimum est: hoc enim perspiratio cohibetur, partium externarum circuitus debilitatur, sanguisque ita in pulmonibus accumulatur. Quum frigus intensum est, subitoque corpori calenti, ut puta ebriosi adhibitum, obstructio ita inducta adeo magna sit, ut mortem a suffocatione inducere valeat, diu antequam aut suppuratio aut gangraena hunc effectum producere potuissent: atque probabile est plurimae hoc modo mortes inducuntur. Aëris frigidi aut vaporum noxiorum inhalatio dum corpus calet, violentia externa aut vulnera thoracem penetrantia, nimia pulmonum exercitatio, veluti canendo, vel tibias diu inflando, omnia hujus morbi causae excitantes frequenter

existunt. Saepe quoque aliorum morborum comes est, aut iis excitatur; exempli gratia, febrium, catarrhi, rubeolae, variolae, rheumatismi, podagrae.

## DISSECTIO.

Cadavere pneumonia extincto, res visae pro violentia et duratione priorum signorum, proque terminatione quae morbo acciderit, variare solent. Ubi mors cito inducta fuerit, pulmones plerumque sanguine turgent: molles sunt, facile lacerabiles, atque aqua immersi, fundum petunt. Bronchii muco atro, sanguineo, replentur: cordis latus dextrum, venaeque cavae sanguine tenduntur.

Quum terminatio minus subita fit, species diversae sunt. Pus in pulmonibus ipsis colligitur, textum eorum complens; aut inter duas pleuras contrahitur. Aliquando serum eodem effunditur aut in pericardium; lymphaeque coa-

gulabilis ramenta in pleuram reperiuntur, necnon hujus membranae, cum diaphragmate, cum pericardio, cum thoracis pariete adhaesiones; aut demum indurationes *hepaticae* dictae, aut tubercula, modo inflammata, modo pus habentia, vomicasque constituentia. Haec tamen saepe a longa inflammatione orta, ante pneumoniae qui lethalis fuit accessum, extitisset.

---

## PROGNOSIS.

Aetas corporisque habitus, indiciorum duratio et violentia, remediorum primum adhibitorum effectus, prognosin in hoc, ut in plurimis aliis morbis, temperabunt.

Si febris vehemens sit magnaque jactatione stipata; respiratio crebra atque saepe tussicula brevi, sicca, dolore acuto, cohibita; aut si parum doloris sit, sed plena et multum impedita respiratio; tussis cum sputo nunc subito suppresso, nunc parcum, aliquid nigrum et foe-

tidum proferente ; orthopnoea, aut spirandi difficultas in situ supino ; faciei turgiditas ; labiorum livor ; magna vultus anxietas ; atque si his adjiciantur aphonia, delirium, pulsus debilis et intermittens, sudores frigidi, fronti, pectori affusi ; terminationem infaustam praesagiunt.

Contra, si febris mitis sit, spirandi difficultas, tussis, pectoris dolor diminuatur ; sputum copiosum, crassum, flavidi vel viridis coloris sit ; aut si evacuatio critica, ut epistaxis vel diarrhoea lenis, cum urinae profluvio sedimentum copiosum deponente ; aut sudor profusus per totam superficiem, atque diu continuatus ; aut si herpes in partem corporis aliquam erumpat ibique diu continuet ; si vultus denique ad sanitatis speciem accedat ; tum morbus decedere incepit, et prognosis fausta proferatur.

## CURATIO.

Nullus est morbus qui vehemens, aut cursum citius peragit, aut funestius terminat quam pneumonia; nullus autem qui citius aut efficacius sublevari potest, modo remedia idonea mature prudenterque adhibita fuerint.

Resolutio, quae in omni inflammatione expetenda est, in pneumonia, ubi pars vitalis afficitur, praesertim necessaria fit. Hoc morbo igitur, consilium ad quod medici attentio primum et assidue dirigenda est, adque quod efficiendum pro viribus niti oportet, resolutio est. Inflammationem cohibendi aut violentiam ejus moderandi variae sunt rationes; potentissima autem, ideoque praecipue adhibenda, paucissima sunt. Ex his autem venaesectio longe utilissima est, sine qua omnia hujus mali remedia nihil valerent. Recte igitur, ni fallor, de sanguinis missione, in prima parte, agemus.

Etiam vehementissimi venaesectionis in aliis morbis oppugnatores efficaciam ei in pneumonia concedunt; quousque tamen tuto adhiberi hoc morbo possit, haud mediocriter dissentiunt. Nonnulli sanguinem in parvulis portionibus crebro repetitis, donec signa mitigata essent, mitti suaserunt. Hac autem ratione vires ejus contra inflammationem potentissimae raro exercentur, dum effectus contra, debilitantes, certissimae inducuntur. Plus sanguinis quoque hoc modo projicitur, antequam curatio effecta est, quam in iis quibus mature et copiose abstractus est; atque morbus, etiamsi pro tempore saepe allevatus, vires plerumque in intervallis acquirit, donec tandem remedium non amplius adhiberi potest. Hoc est, quod rationem medendi, per se optimam, infamia notavit. Aliis medicis, ut clarissimo SYDENHAMO, certa quantitas regularis sanguinis subtrahi praecipitur, ultra quam depletionem progredi vetant. Manifestum est nos nullius morbi curatione legibus ejusmodi ad amussim parere posse. Remediorum effectus in morbi signa observandi

sunt, atque repetendi necessitas inde ferenda: hic enim venaesectionem largissimam facile et commode patietur, dum illi, eadem detractione, aut vita eripietur, aut valetudo universa labefacta erit.

Sanguinis missio bifariam operari videtur: scilicet, 1mo, copiam sanguinis in toto corpore circulantis ideoque in parte affecta minuit: 2do, actionem vasculorum exhalantium et secernentium promovet, ideoque impetum humorum ad pulmones imminuit. Experientia nos docuit, quo maturius et magis subito haec evacuatio facta sit, eo magis permanentes et celeres sunt ejus effectus.

Amplum igitur orificium in vena faciendum est, atque in gravioribus exemplis sanguis simul ex utroque brachio aut vena jugulari fluat, atque fluere pergat, donec animi defectio, vel ad hanc proclivitas inducatur. Hoc saepe occurrit ubi sanguinis tam parva fluxit copia ut morbus inde nihil levaretur: cum autem actio arteriarum sub syncope minuta morbum valide cohibere tendat, hic status, in gravioribus ex-

emplis, pro re nata, prolongandus est. Hujus rei causa, a magno vulnere, et in situ erecto sanguinem mittere soleo. Animus cito deficit, sanguinis fluxus fere sponte cohibetur, aut fascia relaxata sistitur. Aegrum tum situ supino repono, atque simul ac syncope decesserit, fasciam arcto, aegrum erectum sedere jubeo : quo pacto syncope iterum et parva solum sanguinis jactura reducitur. Repetitur haec prout dyspnoea haereat, aut signa praevia sugeant, atque saepe secundae evacuationis necessitati supersedeat. Plurimis tamen exemplis venaesectionem frequenter et ample iterare etiam primo die oportet. Illam enim conditione signorum et viribus aegri, haudquaquam copia sanguinis abstracta, crustaeve coriaceae praesentia vel absentia, vel etiam morbi tempore, regemus : sanguis enim utiliter mittetur, ubicunque dyspnoea et dolor urgent, modo nulla suppurationis aut effusionis signa adpareant. Neque multum pulsus conditione nos dirigi oportet, si alia indicia graviora subsint : is enim saepe obscurus, ignavus et abnormis

restat, etiam sub morbi initio; aegro interim debilitatem et oppressionem quanta sanguinis profusionem vetare appareret queritante. "But "in such cases letting of blood is so far from "weakening, that it really raises the powers of "nature; as is always evident on drawing "blood from plethoric persons labouring un-"der oppressed pulse, as it is properly called, "which is found constantly to rise on bleed-"ing*."

Quum autem venaesectionis copiosae necessitatem cum signa requirunt, sic adeo forte inculcamus, nimis longe haec eadem agi non debet; quoniam hoc modo debilitas fatalis inducatur, etiamsi morbus primarius certe fuerit curatus.

Sanguinis missio specialis per hirudines vel cucurbitam subinde utilissime proficere solet ad dolorem fixum tussimque molestam, quae saepe, post alia morbi graviora signa subacta

---

* Vide Huxham's Essays, p. 182.

restant, tollendam. Haec enim alias in phthisin desinere possent.

Exulceratoria, etiamsi in pneumonia secundaria habenda sint, maximi tamen momenti in curatione ejus constant. Praeter venaesectionem igitur emplastrum magnum parti dolenti adhiberi debet; atque cum profluvium ex hoc cessaverit, aliud parti adjacenti, ut effectum perpetuum conservet, superimponendum est. Incipiente morbo, ante sanguinis missionem, et alvum rite purgatam, vesicatoria irritant et laedunt: non igitur adhibenda sunt, nisi post has exinanitiones institutas.

Purgatio irritationem ex faecibus retentis submovet: atque venaesectioni haud absimilis vasorum actionem diminuit. Sub morbi initio pulveris jalapae compositi, pulverisve jalapae cum submuriate hydrargyri dosis plena utiliter exhibetur. Postea vero, laxantia leniora laudanda sunt, praesertim sales medii, quoniam hi fluxum sanguinis deorsum in aorta, adeoque pectus sublevare, creduntur. Enemata emol-

lientia eosdem quoque effectus inducunt, ideoque utilia sunt.

Solutio tartratis antimonii, et alia ex antimonio praeparata, ita exhibita ut nauseam moverent, ideoque arteriarum actionem minuerent, aut minoribus adhuc portionibus ut lenem perspirationem per cutem moliretur, laudata sunt. Utrumque ex his maximi existit momenti; sed doses quae nauseam movent, utcunque caute administrentur, vomitum, quod pessimum est, provocare tendunt; atque vis diaphoretica dosium minorum, diluentibus quibuscum conjunguntur, maxima ex parte tribuenda est.

Arteriarum actio potissime diminuetur usu venaesectionis idoneo; et perspiratio diluentibus optime promovetur. Ad hoc nitrate potassae, citrate potassae aut ammoniae, acetate potassae vel ammoniae, cum tepido, blando et diluente potu, crebro repetito, nec ita ut ventriculum oneret vomitumque excitet, utamur. Hordei vel oryzae decoctum melle dulcescens, aut ipsius glycyrrhizae decoctum, grata sunt et

utilia. Aquae, vel aceti cum aqua vapores, crebro in pulmones inhalati, pediluvium, tussim, saepe utiliter sedant, sputum, perspirationemque promovent. Oleosa atque mucilaginosa, per totum morbi tractum, propinari possunt; sed cum tussis molesta atque crebra fit, tum vel praecipue utilia sunt. Hujusmodi sunt medicamenta ex gummi acaciae Arabicae, amygdalis, aut spermate ceti saccharo conjuncta. Contra, expectorantia magis stimulantia, veluti gummi ammoniaci, et scillae semper sub inflammatione acuta nocere observantur.

Calor externus, sive stragulis nimis multis, sive aëre parum ventilato proveniens, noxius est atque accuratissime evitandus, haud secus ac contrarium ejus, frigus supra modum intensum.

Sub initio hujus morbi opium nunquam adhibendum est; sed tempore provectiore, ubi dyspnoea diminuta est, ubi signum maxime molestus tussis est pervigilium inducens, tum utilissimum erit, et Culleno usui commendatur.

Postremo, quando sanguinis missio, aliaque remedia optatum effectum inducere non potu-

erunt, praesertim ubi morbus febri typhode copulatur, et indicia effusionis se ostendunt; usus submuriatis hydrargyri aut per se, aut opio commixti, donec signa sui propria in corpore ediderit, vel maxime proficiet. Hoc morbi statu quoque digitalis laudata est. Pluries eam expertus sum. In nonnullis nihil omnino etiam ex largis dosibus evidens fuit; aliis vero proprii hujus medicamenti effectus facile inducti sunt; sed in nullis alleviatio quaevis vel minima signorum huic attribui potuit.

FINIS.

Nomina eorum qui Gradum MEDICINAE DOCTORIS in ACADEMIA JACOBI SEXTI REGIS, quae Edinburgi est, anno 1819, adepti sunt.

---

ALEXANDER DUNLOP ANDERSON, Scotus. De Pneumonia.
JACOBUS ANDERSON, Scotus. De Hydrope Anasarca.
THOMAS F. ANDREWS, Americanus. De Vasis Absorptioni Servientibus.
DANIEL ARCHER, Anglus. De Galvanismo.
GEORGIUS BALLINGALL, Scotus. De Apoplexia Sanguinea.
EDVARDUS BANKS, Anglus. De Hernia Crurali.
ROBERTUS BELL, Hibernus. De Febre Continua, quae Hiberniam per duos annos afflixit.
DIONYSIUS BRENAN, Hibernus. De Re Alimentaria.
FREDERICUS BROWN, Anglus. De Dysenteria.
JOSEPHUS BROWN, Anglus. De Morbis Venereis.
CHRISTOPHORUS ALDWORTH BULL, Hibernus. De Digitale Purpurea.
BENJAMINUS BURT, Scotus. De Rabie Canina.
DANIEL BURTON, Americanus. De Diabete Mellito.
MICHAEL CAHILL, Hibernus. De Hepatitide.
ROBERTUS CHRISTISON, Scotus. De Febre Continua, quae nuper in hac urbe Epidemica fuit, ex exemplis apud Nosocomium Regium tractatis, deducta.
GULIELMUS COCHRANE, Scotus. De Venenis.
JACOBUS G. COLEMAN, Anglus. De Hydrophobia.
JOANNES CRAWFORD, Scotus. De Hydrothorace.
THOMAS CUMING, Hibernus. De quibusdam Febris Epidemicae Anni 1818 Sequelis.
TIMOTHEUS CURTIN, Hibernus. De Dyspepsia.
MARCUS WEATHERBY DALY, Hibernus. De Hepatis Structura Morbisque.
GULIELMUS DAUNT, Hibernus. De Dysenteria Indiae Occidentalis.
ALEXANDER DAVIDSON, Scotus. De Hepatitide.
JACOBUS E. DE KAY. Americanus. De Erroris Scaturigine in Experimentis Physiologicis.
HANANEL DE LEON, Jamaicensis. De Hydrocephalo.

Joannes Desmond, Hibernus. De Morbo Mercuriali.
Fredericus Duesbury, Anglus. De Veris Asphyxiae Causis.
Alexander R. Duguid, Scotus. De Ambustionibus.
Josephus Dwyer, Hibernus. De Syphilide.
Adamus Elliot, Scotus. De Generis Humani Colore.
Gulielmus Enright, Hibernus. De Cataracta.
Petrus Fairbairn, Scotus. De Morbo Coxario.
Patricius B. Fergusson, Anglus. De Sanitate Tuenda.
Petrus Finlayson, Scotus. De Pneumonia.
Gulielmus Foster, Anglus. De Organicis Vitiis Cordis.
Heathfield T. Frampton, Anglus. De Aneurismate.
Jacobus French, Scotus. De Dysenteria.
Ebenezer Gairdner, Scotus. De Somno.
Jonathan Garner, Barbadensis. De Mania.
Gualterus Glass, Scotus. De Pneumonia.
Jacobus Graham, Hibernus. De Ophthalmia Membranarum.
Daniel Haliday, Hibernus. De Apoplexia.
Gulielmus Hamilton, Hibernus. De Melaenae Natura et Curatione.
Georgius Hawthorn, Hibernus. De Pneumonia.
Joannes Hennen, Hibernus. De Sanitate Militum Tuenda.
Georgius Hinds, Hibernus. De Apoplexia.
Andreas F. Holmes, H. Americanus. De Tetano.
Gulielmus Landen Hopkinson, Anglus. De Sanguinis Vitalitate.
Georgius Howe, Hibernus. De Haemoptysi.
Henricus Hudson, Hibernus. De Calore.
Jacobus S. Huston, Hibernus. De Aneurismate.
Alexander Jack, Scotus. De Pseudo-Syphilide.
Joannes Jobson, Scotus. De Dysenteria.
Georgius Johnston, Anglus. De Hydrope.
Georgius Haines Jones, Cambro-Britannus. De Usu Aquae et Methodis eam ad Mare Servandi.
Bernardus Kelly, Hibernus. De Pneumonia.
Gulielmus Kemlo, Scotus. De Mensibus et Amenorrhoea.
Gulielmus Kennedy, Hibernus. De Cerebri Concussione.
Alexander King, Hibernus. De Febribus Intermittentibus.
Gulielmus J. King, Barbadensis. De Febre Flava.

ANDREAS KINNIS, Scotus. De Phthisi Pulmonali.
GEORGIUS LANG, Scotus. De Phthisi Pulmonali.
THOMAS AITCHISON LATTA, Scotus. De Scorbuto.
GULIELMUS DIGBY LAWLOR, ex Insula St. Christophori. De Phthisi Pulmonum.
JACOBUS LINDSAY, Anglus. De Ambustionibus.
PATRICIUS LYON, Scotus. De Asphyxiae Causis et Ratione.
JACOBUS M'CABE, Hibernus. De Sanitate et Vi Animi inter Tropicos.
THOMAS MACCARTHY, Hibernus. De Immodico Vini et Spiritus Ardentis Usu.
THOMAS USHER M'DONALD, Hibernus. De Enteritide.
GULIELMUS M'DONELL, Scotus. De Dysenteria Indiae Orientalis.
GULIELMUS C. MAIR, Anglus. De Scorbuti Causis.
JOANNES MAIR, Scotus. De Peste ejusque Relationibus Morbidis.
FRANCISCUS MARCHANT, Anglus. De Dyspepsia.
JOANNES MAUDE, Scotus. De Munere Absorbente.
JOANNES MEADE, (Eques,) Hibernus. De Febre Flava.
ARTHURUS MOWER, Anglus. De Delirio Trementi.
ALEXANDER MUNKITTRICK, Hibernus. De Dysenteria.
HENRICUS O'BRIEN, Hibernus. De Diabete Mellito.
LUCIUS JACOBUS O'BRIEN, Hibernus. De Amaurosi.
ROBERTUS F. OSBORN, Antigua. De Sede Visus.
ROBERTUS LUKE PAGE, Hibernus. De Rheumatismo Chronico et Acuto.
SAMUEL PEACOCK, Anglus. De Recente Febre Epidemica.
THOMAS H. PEMBERTON quondam PEARSON, Hibernus. De Rabie Canina.
ISAACUS PIDDUCK, Anglus. De Strumae Natura et Curatione.
JACOBUS PITCAIRN, Scotus. De Anasarca.
JACOBUS GEORGIUS PLAYFAIR, Scotus. De Febre Flava Calpensi.
ANTONIUS PRINGLE, Scotus. De Amputatione.
THOMAS PROUDFOOT, Scotus. De Febribus in Oris Maris Mediterranei.
JACOBUS RENTON, Scotus. De Calculo.
JACOBUS ROBERTSON, Anglus. De Nausea Maritima.
JOANNES ARGYLL ROBERTSON, Scotus. De Ophthalmia.
JOANNES ROBB, Scotus. De Dysenteria.
MICHAEL RYAN, Hibernus. De Variis Ictericis Morbis.

Joannes Salmon, Jamaicensis. De Dysenteria.
Joannes Scott, Scotus. De Plantis Medicinalibus in Insula Ceylona Nascentibus, et quaedam de Medicina Sinhalensium.
Jacobus Simpson, Scotus. De Ulcere Maligno.
Joannes Smale, Anglus. De Hydrocele Tunicae Vaginalis Testis.
Andreas Smith, Scotus. De Variolis Secondariis.
Leonardus Stewart, ex Insula Bermuda. De Vi Consuetudinis in Corpus Humanum, nunc Causa Morborum, nunc Salutis Praesidio.
Thomas Stewart, Scotus. De Febribus Intermittentibus.
Gulielmus Stroud, Anglus. De Arthritide Regulari.
Georgius Taylor, Scotus. De Febre Contagiosa Crifana annis 1817 et 1818 saeviente.
Gulielmus Temple, Hibernus. De Febre Epidemica quae annis 1817, 1818, apud Monagham ejusque vicinitatem, maxime saeviebat.
Gulielmus Thomson, Scotus. De Vaccinia.
Joannes Thomson, ex India Orientali. De Scarlatina Anginosa.
Joannes Trotter, Anglus. De Dyspepsia.
Ricardus Tuite, ex Insula St. Crucis. De Cynanche Tracheali.
Edvardus Turner, Jamaicensis. De Causis Febris Epidemicae nunc Edinburgi grassantis.
Samuel Tyndall, Berbicensis. De Rebus Lucem in Tenebris emittentibus.
Gulielmus Vassall, Anglus. De Morbis Convulsivis Alvo Nascentibus.
Robertus Warren, Hibernus. De Morbis Postulantibus necnon Modis Efficiendi Pupillam Artificiosam.
Alexander Watson, Scotus. De Febre Bataviae.
Samuel Wesley, Hibernus. De Rheumatismo Acuto.
Thomas Williams, ex Vecti Insula. De Pneumonia.
Robertus Willis, Scotus. De Dyspepsia.
Joannes Wilson, Scotus. De Hydrothorace.
Jacobus Wright, Hibernus. De Synocho.